DE APOSTOLICA PETRI CATHEDRA

ORATIO

Habita in Baſilica Vaticana

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CORAM

Sanctiſſimo Domino Noſtro

CLEMENTE XII.

PONT. OPT. MAX.

A LAURENTIO LECCE ROMANO.



ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis, in via Sem. Romani 1733.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

BEATISSIME PATER.

QUi ſe Principibus, PATER BEATISSIME, *dant in conſpectum, quamvis eloquentia, & ingenio plurimùm poſſunt, eorum attamen majeſtate non mediocritèr commoventur. Quapropter de immutabili Petri Sede Romanam Urbem invecta orationem, quam dixi, Tuo Sanctiſſimo inſcribens nomini, gratam Tibi non fore meritò pertimeſco. Principis enim majeſtas cum gravitate Pontificis in Te conjuncta, argumenti am-*

Digitized by Google

plitudo, quam incredibilis vis, & copia dicendi decet, animi Tui magnitudo, ac ſapientia, quæ politiorem in rebus omnibus elegantiam requirunt, Oratio, quam indiſertam, ac invenuſtam intueor, me ità deterrent, ut pudeat Tibi eam nuncupare. Verùm me recreat innata illa facilitas animo Tuo cum magnanimitate, ac ſapientia mirificè conſociata, quarum cauſa, ut in gravioribus Te argumentis oblectas, ità tractata levitèr non contemnis. Hæc tria ſanè bona illa ſunt, quæ cum ad Religionem, atque Rempublicam benè gerendas nonnihil conferant, adeo in Te unum conlata quiſque miratur, ut animi incertus ſit, an amplior Tibi Reipublicæ, quàm Eccleſiæ regimine parta ſit gloria. Sentio virtutum iſtarum laudes modeſtiam Tuam perturbare: De illis itaque conticeſcere ſatius erit. Enimverò quid refert verbis complecti, cum eas loquantur Patrum Tuorum imagines pervetuſtæ, quarum tanta memoratur equidem multitudo, ut illas dinumerando fama ipſa defatigetur. Profectò ſi egregii illi Homines hìc adeſſent diſpertitas in ſe virtutes, ut copulatas in Te ſuſpicerent, ità dignitatem unam, quam obtines parem illis pernoſcerent, ac Romam quoque iis refertam, ornatamque circumſpectarent. Cernerent viros clariſſimos in Quirinum Cœtum cooptatos, qui ſapientiæ Tuæ gratia literarum proſpiciunt, ac Poetices incremento; Ædificia conſurgere ſumptuoſa, quæ commodum Urbis, ſimul ſplendidam venuſtatem adaugent, deque Tua ſunt indicio munificentia, quæ etſi omnium ſermone percrebuiſſet, nomen nihilominùs ipſum opera ſuperarünt. Conſpicerent poſtremò populos, qui Tui comitate animi ante hac experta votorum compotes gaudium erumpunt, quòd Imperium patiuntur ejus, quem tamdiù Principem exoptarunt:

Et

Digitized by Google

Et quamquàm commemoranda hæc facinora ſuæ haud parùm memoriæ officere illi immortales viri intelligerent, Tui tamen nobilitate ſemetipſos conſolarentur. At inanem laborem capio ſi laudes perſequi volo Tuas, cùm priùs defeſſi ſint homines laudando facta Tua, quàm Tu laude digna faciendo, quæ ità ſunt comparata, ut eorum delectus nequeat haberi; qua de re ut ad Tuam animi magnitudinem attinet Orationis hujus argumentum maximi facere, ita ad beneficentiam Tuam inſcitiæ indulgere Oratoris: ſicut & divinæ curandum eſt Providentiæ, ne Religio Antiſtite deſtituatur, qui Eccleſiæ tanto mentis lumine conſulit, ut ejus Conditoris conſilium in ſuis operibus perſpiciatur, neque careat Reſpublica Moderatore, qui tanta humilibus obſequitur facilitate, ut neminem habere poſſit auctorem. Nam quidquid ad gerendam Rempublicam imitatione Tua dignum, Clemens Maxime, *exiſtimaſti, adeò aſſecutus, adeò es prætergreſſus, ut tutemet ſis in poſterùm imitaturus.*

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Mag. Sac. Pal. Apoſt.

N. Baccarius Ep. Bojan. Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Joachim Pucci Sac. Th. Mag. & Socius Rm̃i Patris Sac. Pal. Ap. Mag. Ord. Præd.

ORA-

Digitized by Google



ORATIO.

ETſi Quiritum Reſpublica, Beatissime Pater, ab exiguis profecta initiis eo creverit, ut Chaldæorum, Perſarum, Græcorumve Regna memoriam prorsùs amittant, ſi cum ejus opibus conferuntur, dignitas nihilominus ſua, fluxa imago, atque fragilis illius eſt gloriæ, quam ſibi partam hodierna luce fuiſſe commemoratur, qua Romanæ condita Sedes Eccleſiæ fuit, ſuique poteſtas Pontificis commigravit, quæ Romana Republica, tàm ſtabilior, tàm amplior eſt, quam humanis Divina, æterna mortalibus antecellunt. Poeticis Roma decoræ fabulis literæ conticeſcant, quibus proditum eſt, Romulum Cœlo delapſum tuo populo portendiſſe Caput cunctarum Gentium futurum, & hac die, qui

Digitized by Google

qui tuam prænunciarunt Eccleſiam univerſæ Principem Religionis, Prophetas ſuſpice ſpiritu tactos illo, qui Divinus eſſe nequiret, niſi Oracula ſua rerum omnium eventu comprobarentur.
(1) Dan. 3. v. 35. (1) En mirus itaque Lapis, qui ineptis inanium numinum ſignis collabefactis ingentis montis inſtar lateſcit, ac omnis impoſterùm Terrarum
(2) Matth. c. 7. verſ. 24. & 25. Orbis magnitudine tenetur ſua; (2) En prævalida Domus, quam imbres, flumina, venti, labefacere nequeunt ſi maximè in eam irrumpant. En memorabilis poſtremò dies, qua primus Eccleſiæ Antiſtes, poſtquàm de Evangelio leges promulgans Pontum, Galatiam, Cappadociam, Bythiniam, Aſiam pervaſerat, Urbem ingreſſus fuit, exoptans, ut cui mortales propemodùm omnes obtemperabant Orthodo-
(3) Ex 1. Reg. cap. 5. verſ. 2. 3. 4. xa imperitaret Religio. Verùm re ipſa, ut (3) veracis Arca Dei improbi Dagonis ædem invecta, ipſe disjectis artubus collapſus eſt, itá ſtatim, ut Petrus Romana mœnia introivit Ethnica ſuperſtitio, quæ omnium inſederat mentibus commota eſt; enimverò ejus eloquium lumine coruſcum illo, quod in Hyeroſolimæ Templo Divinitus micans hauſit, erroris nebulas diſſlans animos permeavit: Quamobrèm (ſtupendum dictu) Victimas venerabundi deſeruerunt Haruſpices, Pſeudoſacerdotes perfuſi horrore Delubra, variis avium volatibus fidem Augures non habuere, quin Aræ, Litui, Vittæ, Seceſpitæ fucoſæ Religionis perabſurda inſtrumenta in Sanctiſſimi Pontifica-

tificatus Inſignia mirabili viciſſitudine converſa ſunt. Simul ac Tartara conſpicata fuere ſuum in præcipiti Regnum ſtare, furore percita conjurarunt, ut Ampliſſimi Sacerdotii condita Sedes perditum iret. At ſæviſſimis Cæſarum Romanorum ingeniis, quæ in ipſam Inferorum opera fecerunt impetum, vexare quidem, delere autem datum non fuit. (4) Quippè binis ab Eccleſia condita luſtris Iam ipſam Nero quatefaciebat ad omnia ſcelera patranda factus, jam incendiis, jam cladibus devaſtandam ſua ſibi grandis ſpem faciebat potentia; ſed Petrus ab Antiochena diſcedens Urbe ad Romanam properè convolavit, (5) & quem debilis Ancillæ Cauſa metus inceſſit, inſanientis ſupercilium Neronis minimè perterrefecit, (6) & qui Jeſus navigium petens pede trepido maris calcavit undas laceſſitus ludibriis, ſatellitibus, diſtrictis gladiis, formidoloſa cædis imagine circumſeptus, neque gradum ſuſpendens mortem occubuit, ſuo reſpergens cruore, quæ jecerat fundamenta: Ob quam profectò necem, non nutavit Eccleſia, non deſtituta Rectore, non fracta fuit, ſed ut (7) Eleazaro in Aaron demortui locum ſuffecto, cæteriſque deinceps Sacerdotale ſtetit Imperium, quod Romanæ præſeferebat ſpeciem Eccleſiæ, ità hujus regimen, Lino, cui primum moderandum credidit Eccleſiam Petrus, ac poſteris Pontificibus manſit incolume, (8) iiſque ornatum inſi-

(4) *Ex Div. Leon. ſer. 1. in Natal. Ap. Petr., & Paul.*

(5) *Div. Leo ibid.*

(6) *Div. Leo ibid.*

7. *Num. 20., 28.*

(8) *Matth. 16.*

inſignibus, quæ pandere Cœlos valent, tanto fidei robore communitum, [9] ut ejus exitium Satanas flagitarit incaſſum, eo denique inſtructum jure, quod è ſaluberrimo Chriſti demanat ſanguine; cui [10] pro ſervandis iis ovibus non pepercit, quibus antequàm ſæculis primordia forent præficiendos decreverat Romanæ moderatores Eccleſiæ; cujus inclitam Sedem, quam hac fauſta die Petrus conſtabilivit, quam intuemur amplificatam, quam colimus, cui paremus [11] omnis ævi limites prætergreſſuram reliquit Chriſtus in terris perenne ſui Nominis monimentum.

(9) *Luc.* 22.

(10) *Ex D. Chryſoſt. l. 2. de Sacerdot. propè init.*

(11) *Matth.* 28., 20.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google